Opuscolo III. Circa i Novizj

Prefazione

Poiché il numero de' Religiosi quando egli è troppo eccessivo suol essere la sorgente di più rilassatezze, specialmente nelle religioni povere, e che devono mantenersi di limosine, e limosine mendicate di breve in breve tempo, come appunto è la Religione di S. Francesco; Per tal cagione han pensato saviamente i Padri di nostra Provincia di restringere al possibile la recezion de' Novizj per iscemare così la moltitudine pur troppo tra noi cresciuta de' frati, e ridurre a qualche miglior sistema i Conventi, col divino ajuto: ~~conforme~~ e diedero a me la cura di formar, o stendere il decreto, che voi qui sotto potete leggere. Questo decreto dunque fu confirmato dal Revmo Pre Generale colla sola addizione d'alcune cosette, che si mettono registrate in fine. Ed è da sperarsi di certo, che qualora sarà per osservarsi fedelmente, si diminuiranno di molto nel numero i Religiosi, e cresceranno, o almeno potranno crescere più facilmente nell'osservanza. Che se per qualche caso, come talvolta accade, anderà in disuso questa pratica qui prescritta intorno la ricezion de' Novizj, vi servirà la lettura per vostra erudizione, e per notizia delle cose antiche. Vi aggiungo due cose che si dissero intorno a questo decreto. La prima che sarebbe stato meglio sospendere per qualche corso d'anni interamente ogni ricezion di Novizj, perche per quanti decreti si possan fare, e per quante condizioni prescrivere, non si vederà poi in pratica l'osservanza: ma vi potranno essere non pochi che o per un motivo, o per un altro cominceranno ad allentare le leggi, o interpretarle a lor talento: onde o si deve chiudere interamente la porta per qualche tempo, che così non vi sarebbono più ne interpretazioni ne epicheje, e in pochi anni s'avrebbe certamente l'intento di ridurre i frati a un numero competente; O pure se la porta non si chiuderà interamente, per quel picciolo buco, e fissura che si lascia

si dee tener per certo, che ogni decrêto poco a poco se n'anderà in fumo: perchè poco a poco tanto si sforzerà quella picciola apertura, che finalmente la porta si spalancherà come prima.

La seconda cosa che si disse fu intorno alla condizione ricercata nel numero V. ove si vuole che i Novizj non possano esser di coloro che esercitano, arte turpe o sia professione. Poiche, dicevasi, o per arte turpe s'intende quella che per legge canonica passa per arte infame: e va bene che tali persone come infami non debbano mai ammettersi alla Religione. O per arte turpe s'intende qualche arte bassa, e vile, come l'esser pastore di pecore, armenti &c. o l'esser povero che viver debbe limosinando &c. e quest'arte non deve escludere dalla religione specialmente di S. Francesco, la quale fa professione di disprezzo del mondo, ed abbraccia la mendicità, e i vili esercizj per crescere così nell'umiltà, e far ricredere il mondo de' suoi errori con cui stima tanto le grandezze, e vanità terrene. ~~[illegible]~~ Inoltre non deve la Religione dipartirsi dalla pratica dell'istesso Dio, di cui sta scritto, che quod altum est hominibus abominatio est apud Deum. Et infirma mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. Finalmente la nostra religione ha per regola di vivere o con lavoro di sue mani, o col mendicare l'elimosine d'uscio in uscio. Or è certo che niun esercizio è più vile di quello de' Mendichi: se dunque tal esercizio ci viene a noi prescritto, e da noi s'esercita, come poi possiamo escludere per questo medesimo motivo ~~di mo~~ che son mendichi, coloro che vengono a riceversi tra noi. E se non escludiamo i mendichi, come potremo escludere quelli che esercitano arti vili sì e basse ma non infami. Certo se dovesse intorno a ciò aversi riguardo più tosto dovrebbono escludersi i Nobili, e i Letterati; perchè questi come dicea S. Francesco e si vidde coll'esperienza, venendo pieni d'orgoglio, o essendo delicati, non si confanno col rigore, ed abiezzione di nostra vita, e son la cagione che varie rilassatezze s'introducano nella Religione.

Precipuum providi Pastoris munus est non solum discentes abusus, ac succre-
scentia in dies vitia e grege sibi commisso pro viribus amputare; verum
etiam infecta e quibus pullulant germina radicitus evellere. Illud autem
in primis regulari observantiæ magnum impedimentum afferre tum Summi Ponti-
fices, tum Concilia ipsa Œcumenica censuere, quod ob faciles assiduasque No-
vitiorum receptiones Religiosorum numerus ultra quam par est excrescat et
augeatur. Quapropter statuit Clemens VIII. an. 1599, et Trident. Synod.
sess. 25. c. 3. de Reform. ut in Monasteriis et domibus tam virorum quam
mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantum
numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus
propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit susten-
tari. et merito quidem; pauci enim facilius reguntur, commodius susten-
tantur, regularisque observantia, cui multitudo inimica esse solet, [illegible]-
tius viget ac conservatur. Hoc autem in nostro præsertim Ordine verissimum
esse, ipsa quotidiana experientia, et Seraphici Patris testimonio pro
comperto habetur. Ex hac enim multitudine fit, ut qui altissimam pauper-
tatem voverunt, damnabilem iterum rerum temporalium sollicitudinem assumere
impellantur. Etenim quoniam pro tot alendis, et vestiendis fratribus ne-
cessarii Superiores [illegible] [illegible] [illegible], dictare [illegible] Subdi-
tis suis [illegible], cum vitæ communis, ut notat B. Humbertus, paupertatis
et observantiæ evidenti discrimine, pro indigentiis propriis ipsimet
sibi provideant; ac interim Superiores ipsi ad excessivas prohibitasque
provisiones ~~[illegible]~~ congregandas, ad multiplicanda
ædificia, ad dilatandas fabricas operam præcipuam navare quodam-
modo cogantur; neglecto ac postposito magna ex parte eorum prin-
cipali munere, regularem scilicet observantiam et perfectionem
verbo et exemplo incessanter in cenobiis suis promovendi. Econtra
vero subditi ipsi vel inviti perpetuis divagationibus pro alimen-
torum procuratione dissipantur; itaut nec choro interesse, nec

orationi mentali vacare; nec spiritualia valeant frequentare exercitia, propter quod primario regularem vitam professi sunt: Quo fit, ut hoc modo distractis, et dissipatis fratribus, iidem a concepto spiritus fervore tepescant, ac sensim frigeant, et in dissolutionem prolabantur. Hisce præterea maximi quidem momenti malis, illud quoque accedit, quod cum virtus nonnisi paucorum sit, ubi non pauci sed multi ad habitum regularem admittuntur, quamplures eorum absque debito delectu admitti necessum est: et hoc modo Provinciæ, et Conventus spinis ac tribulis replebantur. Ex illa namque numerositate fratrum, non pauci aut subito, aut aliquo decursu temporis inepti, desides, otiosi, leves ignari deteguntur: non pauci etiam vagi, loquaces, duræ cervicis, superbi, ambitiosi: non pauci denique, qui propriæ professionis obliti, dissolutis moribus suis intolerabile afferunt bonis gravamen, religioni dedecus, offensionem, et scandalum secularibus; itaut illud Isaiæ cum D. Bernardo hujusmodi multitudini aptari possit: multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam; Nec semel Superiores ipsos pœniteat tot herbas inutiles, tot spinas, tot zizania in agrum dominicum admisisse.

Quod autem hujusmodi religiosorum numerus in Rhegina Provincia cui licet immeriti, disponente Domino præsidemus, ultra quam par esset in præsentiarum excreverit, et auctus sit; ex eo, vel ipsis oculis cernitur, quod paucis retro annis integra pene medietate+ minor erat. Ex tanta porro multitudine quid aliud si abusus, nisi inobservantiæ, et dissolutiones expectari poterit? Timendum est ne oppletis jam conventibus, novæ semper in dies excogitentur fabricæ: timendum, ne dum consuetæ non sufficiunt eleemosynæ vita communis ad quam tenemur dire quatiatur et pereat: timendum ne pro alimentorum procuratione magna ex parte desoletur chorus: ti-

rtia
ne
re

mendum, ne temporalium sollicitudo paupertatem altissimam penitus expugnet timendum denique est, ne regularis observantia, nisi opportunis fulciatur repagulis atque aggeribus, excidium ultimum experiatur.

Idcirco Nos, qui pro nostri officii debito, non solum mala jam orta resecare sed etiam oritura eradicare pro viribus tenemur, radicem illam pestiferam, seu nimiam Novitiorum receptionem ita limitare deliberavimus, ut pateat illis, qui admittentur imposterum spem indubiam præseferant, quod adjumento erunt regulari observantiæ non detrimento; faciliique negotio a Successoribus nostris deveniri quandoque etiam possit ad præfigendum pro quolibet Conventu talem Fratrum numerum, qui ad nostræ Regulæ, et Constitutionum præscriptum, absque nimis diuturnis, annuisve provisionibus, commode possit ex quotidianis eleemosynis sustentari.

Unanimi igitur nostri Diffinitorii consensu, ac maturo habito consilio, inhærentes præterea Summorum Pontificum, et nostri seraphici Ordinis Constitutionibus, ac tandem crebris, et iteratis precibus implorato Superni Patris Lumine, præsens hoc Decretum, Legem, Determinationem, Statutum pro regulanda in hac nostra Provincia Novitiorum receptione, publicare et promulgare curavimus: Statuentes ut nullus in posterum ad habitum regularem recipi possit, nisi præter ea quæ secundum sacros canones, nostrasque Constitutiones requiruntur, omnes etiam habeat conditiones, et requisita, quæ infra subnectentur. Speramus autem, et multum in Domino confidimus, quod non solum a Successoribus nostris, præsens lex tam Religioni, Communique Bono proficua, et necessaria, inviolabiliter ut par est, custodiatur; sed etiam quod imminuto Fratrum inutilium numero, vita communis, paupertatis votum, spiritus orationis, ac regularis observantia reflorescat, aut saltem sine quotidiano detrimento conservetur.

9.ª Conditiones pro Noviciorum receptione.

2

1. Primo ergo loco statuimus, ut nullus alterius Provincię Iovenis ad regularem habitum in nostra Provincia admittatur: cum enim, id exigente regulari observantia, noviciorum receptio minuenda sit, omnis ratio et officium postulat exteros potius excludere quam Indigenas; et eo magis quod exteri homines, moribus etiam a nostris exteris ac dissimilibus assueti, vix professione peracta, loca iterum e quibus oriundi sunt anhelant; nec Superioribus negotium facessere desistunt, donec ad eadem, quod et sępe accidit, revertantur.

2. Potiori jure ab regulari habitu vagos homines quamvis indigenę sint, excludendos statuimus. Hi namque longo illo excursu, quo regiones varias absque honesta causa peragrati sunt, cum nonnisi vitia suxerint ut sępe fit, ac prejudicia imbiberint, ferendo monasticę disciplinę jugo impatientes erunt; brevique, aut illud excutient; aut certe morigeratis fratribus infesti erunt. pręterea ab hujusmodi hominibus, cum levitatem pręseferant, ac mentis inconstantiam, quę etiam post professionem ut assolet perseverat, nihil profecto, quod religiosam quietem et gravitatem deceat sperandum est.

3. Hisce de causis non solum legitime infames, ut nostrę pręscribunt Constitutiones, sed etiam quicunque discoli, libertini, maliqve odoris homines sint ab noviciorum habitu suscipiendo prorsus excludi. nam qui semel effrenate, ac imprudenter vivere didicerunt, rarissime serio convertuntur; adeoque ad vomitum redeuntes, religionem inficient ac dehonestabunt. quapropter nullus omnino ad habitum admittatur, qui testimoniales literas proprii Parochi non habeat, in quibus de Recipiendi bona fama vita, et moribus jure jurando testetur ac fidem faciat.

4. Similiter ne hominibus fatuis, semifatuis, garrulis, stultis, levibus, ridiculis, qui eorum volubilitate, levitate, et inconstantia gravem omnibus afferunt perturbationem, nec unquam sub regulari disciplina contineri valent: ne hujuscemodi zizaniis dominicum Religionis agrum repleatur

injungimus, et ordinamus respectivis locorum Superioribus, ut sedulo, ac rigorosa indagine explorent, cujusnam indolis, ac ~~genii sint~~ juvenes qui Religionem aspirant, et re penitus discussa, et approbata juratam fidem faciant eosdem sanos, ac seriae mentis esse atque ab omni penitus levitatis umbra alienos. Sine qua jurata fide, statuimus, ut nullus in posterum quibusvis aliis dotibus, aut requisitis fulgeat, ad regularem habitum admittatur.

5. Cum juxta decretum Clementis VIII. de reformatione Regularium, nullus qui honestis Parentibus natus non sit, ad Novitiatum admitti possit, statuimus ut nullus illegitimus, nullus qui professionem turpem exercet, nullus denique a Parentibus natus hujusmodi turpem professionem exercentibus ut sunt Lictores, Sbirri, Histriones &c. in Novitiorum numerum recipiatur.

6. Quorum Parentes, vel etiam Fratres, Sorores, Neptes, aut Nepotes ita pauperes sunt, ut absque eorum ope vivere non possint, prorsus ab regulari habitu exclusi maneant, ne ut saepe contingit, pro illorum inopia sublevanda perpetuo distrahi, ac divagari, negotiisque saecularibus se immiscere cogantur, cum Religionis non contemptibili incommodo, ac detrimento, et dedecore.

7. Nullus in posterum in Novitiorum qui Clerici dicuntur, numerum referatur qui praeter recensitas usque modo conditiones, in grammatica ~~[illegible]~~ licentiatus non sit, ita ut eo saltem modo latinam linguam calleat, quo Missale, et Breviarium emendate legere, atque ex se intelligere, et explanare pinguam mediocriter possit. Etenim experimento didicimus hujusmodi ignaros rudesque homines, desidiae, ac otio se tradi, et quamvis studio applicentur parum vel nihil proficere, inhabilesque ~~[illegible]~~ vel ad ipsos Ordines rite suscipiendos jugiter permanere.

8. Qui vero in Laicorum numerum referendus est, recipi omnino prohibemus, nisi praeter conditiones supra expositas, essentialia saltem rudimenta fidei ita calleat, ut non solum ea materialiter recita-

re queat, sed etiam et multo magis eorundem rudimentorum sensum plenè intelligat; Ne ~~absurdum~~ immane illud absurdum toties a nostris Reverendissimis Generalibus, et novissimè a S. Congreg. detestatum, in nostra Provincia videri unquam possit, reperiri scilicet inter Religiosos Viros non neminem qui fundamenta ipsa et bases Christianae vitae ignorans, nec inter simplices Christianos computandus esset.

9. Porrò ne ullo unquam tempore Statuta haec omnia in desuetudinem abeant atque ut in re tanti momenti, maturius ut par est, et citra ullius notam, sicut et absque personarum acceptione procedatur: Statuimus et ordinamus (quod et alibi tum in nostro Ordine, tum in aliis usui receptum est) ut Novitiorum sive Clerici sive laici sint receptio et admissio nonnisi ab ipso, et in ipso Diffinitorio secretis votis fiat, praemisso rigoroso Recipiendorum examine de ipsorum vita, moribus, indole, habilitate, caeterisque conditionibus quarum serie praesentis decreti tenore praescripsimus, et designavimus: illique tantum admissi ad regularem habitum censeantur, pro quibus major votorum pars fuerit suffragata.

Quia vero semel tantum in anno Congregationes Provles celebrari possunt, licebit idcirco successoribus nostris, quoties id necessarium judicaverint, dum in sancta visitatione sunt, pro hujusmodi Novitiorum examine, et receptione duas alias unam scilicet in utraque Custodia Congregationes indicere, ac celebrare: in quibus si actuales omnes Patres interesse non poterunt, alios qui saltem Lectores vel ex Lectores sint, donec quinarius compleatur numerus, subrogare; a quibus omnibus, praesidente A.R. Provli, Recipiendorum examen, et approbatio juxta eorum conscientiam quam super hoc graviter oneramus, secretis votis ut supra peragatur.

Verum si talis aliquando acciderit casus (quod tamen vel nunquam, vel rarissime eventurum credendum est) ut pro bono communi aliquem ad habitum regularem extra praefatas Congregationes recipere

necessarium videatur: id non aliter fiat, nisi prius habito Actualium Diffinitorum consilio, et consensu, quinque saltem probatæ vitæ, ac doctrinæ Religiosis (quorum unus qui presideat Ex Patribus provinciæ sit) ab A. R. P. Provinciali ad hoc specialiter delegandis, Novitius prefatus examinandus committatur. A quibus si idoneus repertus fuerit, omnibus quæ preditus requisitis, iis presertim quæ in presentis decreti præscripta sunt, jurata ab ipsis examinatoribus fides de ejusdem approbatione ad P. Provinciale transmittatur. Et sic, et non aliter examinato, et approbato ad Religionem ingrediendam aditus pateat

10. Postremo si forte aliquando vel Examinatorum incuria, vel quacumque de causa Novitius aliquis contra presentis decreti tenorem recipi contigerit, volumus et expresse mandamus Novitiorum Magistris, ut detecto errore (d) ejusmodi Novitium tamquam inhabile dimittere teneantur. Ut autem presens decretum futuris temporibus inviolabiliter observetur ad majorem Dei gloriam, nostrique Ordinis spirituale incrementum, volumus ut idem in authenticam formam redactum, et sigillo nostri officii, ac Diffinitorii subscriptione munitum, quam citius promulgetur, et ejus copia seu transumptum ad omnes Conventus transmittatur.

Datum

Additiones

a ad num. 1. Primo ergo loco statuimus ut nullus alterius Provinciæ juvenis (excepto si ejusmodi egregiis fulgeat dotibus, ut ejus receptio religionis incrementum non modicum, et seculi ædificationem indubie portendere videatur, et tunc nonnisi de Revmi P. Generalis licentiam ad regularem habitum in nostra Provincia admittatur. Cum enim &c.

b. Ad num. 5. Statuimus ut nullus illegitimus (excepto casu de quo num. 1. de egregiæ qualitatis Alienigenis) nullus qui professionem &c.

c Ad num. 6. Nisi preter conditiones supra expositas vigesimum quintum ætatis suæ annum non excesserint (excepto si aliqua arte pro Ordine nostro admodum proficua perfecte polleat) et essentialia

d Ad num. 10. ...... Ut detecto errore Superiores Magistros Provinciales

certiorem facere teneatur, a ~~qua~~ novo inſtituto examine, methodo qua supra, super capitibus preſertim inhabilitatis a Magiſtro expoſitis, si reipſa inhabilis repertus fuerit è noviziatu penitus excludatur.

Compoſto nel febrajo del 1759